

Restant ipsa sublimia in medio posita, quorum binos libros artiore quodam vinculo conexos atque librum IV b ante II, V ante VI scriptos esse vidimus. nunc ordinem Senecae IVb II, V VI fuisse, non V VI, IVb II probandum erit. atque aquas caelestes libri IVb aquis terrestribus in III IVa tractatis oppositas esse p. X patuit. ventos cum his cohaerere nemo censuit neque ipse Seneca praefatione quadam usus vel digressione professus est: liber V de ventis conscriptus praefatione prorsus caret et carere potuit, quia aëri et fulminibus apte venti asseruntur. itaque libro II praemisso (cf. 1, 3) a verbis *ventus est fluens aér optime* incipit V 1, 1. toti vero sublimium parti praefatio deesse non potuit, neque eam initio libri IVb nunc manci defuisse veri est simillimum (Stud. I 112, cf. 114). deinde verba *sed haec alias* II 7, 2 ad doctrinam Democriti V 2 sq. reprobandam spectare videntur, nisi ea ad Stratonis placita postea VI 13, 2 adumbrata referre mavis (Stud. I 116—118): neuter enim locus ante II 7 conscriptus est. huius ordinis gravissimum indicium adhuc neglectum VI 19, 2 exstat, ubi voce humana in dolio resonante pertractata additur (*aér aéra*) *agitat non aliter quam illa, de quibus paulo ante rettuli, inania indito clamore sonuerunt*: de his Seneca neque in libro VI neque in V sed II 29 (cf. 27, 4. 28, 1. 6, 5) egerat, cum Metrodori Chii similiumque auctorum de tonitruis placita reddebat.

Itaque uno tenore libros II V VI videtur conscripsisse, postquam dissertationem de aquis caelestibus (IVb) magis auctores suos quam apertum consilium secutus absolvit, (nam de fulminibus post grandinem acturum se esse nego eum promisisse, cf. infra). hac de causa dispositionem totius materiae II 1, 1 sq. adumbravit, cuius mediae parti *nubila imbre nives <ventus terrae motus fulgura> tonitrua* *quaecumque aér facit patiturve adscripsit*. nimirum sic fere verborum contextum supplendum esse, etsi olim dubius haerebam (Stud. I 116), nunc Haasio concedo. hanc enim enumerationem, non ipsos libros, spectans amicus